

*hommage respectueux de l'auteur*

*W.V.*

*J. J. E. Hondius, Vollegraff*

---

EX MNEMOSYNES

BIBLIOTHECAE PHILOLOGICAE BATAVAE.

VOLUMINE LVI. *f. 17201*

---

Bibliothèque Maison de l'Orient



149549

## EPIGRAMMA ATTICUM.

SCRIPSERUNT

I. I. E. HONDIUS et G. VOLLGRAFF.



Athenis in museo epigraphico conspicitur basis e marmore Pentelico, in qua quinque foramina ad signum votivum quadrupedis, ut videtur, statuendum. Altitudo est 0<sup>m</sup>.55, latitudo 0<sup>m</sup>.43, crassitudo 0<sup>m</sup>.55; numerus 2822. Litterae saeculum IV<sup>um</sup> vel III<sup>um</sup> a. C. n. arguunt. Alt. litt. 0<sup>m</sup>.009.

ΑΜΒΡΟΣΙΟΣΚΑΙΔΙΟΠΕΙΘΗΣΔΗΜΟΣΥΝΗΜΕΑΝΕΘΗΚΑΝ: ΑΡΤΕΜΙΔΙ  
ΜΝΗΜΕΙΟΝΕΑΥΤΩΝΑΡΙΤΗΣΤΟΙΣΕΠΙΓΡΑΜΜΕΝΟΙΣΕΙΣΤΟΝΑΠΑΝΤΑΧΡΟ

*Ἀμβρόσιος καὶ Διοπέθης Δημοσύνη με ἀνέθηκον  
Ἀρτέμιδι, μνημεῖον ἑαυτῶν ἀριτῆς  
τοῖς ἐπιγυγνομένοις εἰς τὸν ἅπαντα χρό[νον].*

Vocabula *Δημοσύνη* et *ἀριτῆς* paulo maioribus et inaequalioribus litteris scripta in locum aliorum vocabulorum successerunt quae ferro deleta sunt ita ut nulla priorum vestigia supersint.

Epigrammatis schema metricum ita se habet:

- - - | - - - | - - - - - - -  
- - - | - - - | - - - -  
- - - | - - - | - - - - - - -

Id est:

dimeter choriambicus cum enoplio per synaphiam coniunctus

trimeter choriambicus

pentameter dactylicus.

Vs. 2: *μνημεῖον ἑαυτῶν.*

De versu quem enoplium dicimus cf. Wilamowitz, Griechi-

sche Verskunst, p. 376 sqq. Exempla e poetis atticis petita adscribere libet haecce:

Aesch. Sept. 756

ἔτλα, παράνοια συνᾶγε

Cratin. Mein. II, p. 100<sup>1)</sup>

σιγάν νυν ἅπας ἔχε, σιγάν,  
καὶ πάντα λόγον τάχα πεύση,  
ἡμῖν δ' Ἰθάκη πόλις ἐστί,  
πλέομεν δ' ἄμ' Ὀδυσσεὶ θεῖω.

Aristoph. Vesp. 1521

καὶ θῖν' ἀλὸς ἀτρυγέτοιο

Chorielides ap. Athen. p. 325, d δέσποιν' Ἐκάτη τριοῖτι.

Quos versus omnes si paroemiacos nuncupare malis, a consuetudine veterum non desciscas<sup>2)</sup>. Choriambus enoplio praefixus occurrit apud Euripidem Or. 1369 :

Ἄργεῖον | ξίφος ἐκ θανάτου πέφευγα.

Enoplium coniunctum vel etiam conglutinatum cum pentametri parte dimidiata invenies Eur. Androm. 1014 sq.:

τίνος εἴνεκ' ἄτιμον ὀργά-  
ναν χέρα τεκτοσύνας...

El. 859:

θές εἰς χορόν, ὦ φίλα, ἴχνος,  
ὡς νεβρὸς οὐράνιον,

Item cum parte priore hexametri:

Eur. frg. 370, 3: ἄδοιμι δὲ στεφάνοις κά | ρα πολὺν στεφανωθείς<sup>3)</sup>.

Quod si quaeris: qui fit ut Ambrosius et Diopithes, honesti venatores, iisdem metris utantur quibus Euripides, respondemus non hos e poetis tragicis ea consulto delibasse, sed poetarum artificio subesse cantilenas populares. Pro argumento addimus iam antiquitus in epigrammatis varia metra contexti.<sup>4)</sup>

Ἄρτεμιν Δημοσύνην, cui Ambrosius et Diopithes imaginem ferae, puta apri vel lupi, quam fortiter occiderant, dedicaverunt, praesidem ipsorum δήμου fuisse sumimus<sup>5)</sup>. Lex attica cuius pars apud Demosthenem<sup>6)</sup> exstat dignoscit ἱερὸν Ἀθηναίων δημόσιον ἢ δημοτικόν; item Hesychius δημοτελεῖ ἱερά... εἰς ἃ θύματα δίδωσιν ἢ πόλις, δημοτικὰ δέ, εἰς ἃ οἱ δῆμοι. Itaque adiec-

1) Cf. Wilamowitz, Op. I. p. 386.

2) Cf. Hephaest. VIII, 6.

3) Cf. Wilamowitz, Op. I. p. 388.

4) Cf. I. G. V, 2, 75.

5) De diis pagorum atticorum cf. Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. Demoi, p. 22.

6) Demosth. Contra Macart. 71; p. 1074.

tivum *δημόσυνος*, quod hoc solo loco legitur, interdum idem valuisse atque *δημοτικός* credendum est.

*Ἄριτῆς* pro *ἀρετῆς* scriptum esse videtur, nisi forte lapicida erravit, quod vocalem *ε* nonnumquam tam oclusam proferebant ut vocalis *ι* simillima evaderet. Tertium saeculum praebet nomina attica *ᾠφιλίων*, *ᾠφιλίμη* iuxta *ᾠφελίων*, *ᾠφελίμη*<sup>1)</sup>; neque absurdum videtur conferre vocabula *πετάννουμι* — *πίτνημι*, *σκεδάννουμι* — *σκίδνημι* alia.<sup>2)</sup>

1) Cf. Meisterhans-Schwyzler, Gramm. der att. Inschr.<sup>3</sup> p. 18.

2) Cf. G. Meyer, Griech. Gramm.<sup>3</sup> p. 106—109; Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. p. 106.

#### EPIGRAMMA ACARNANICUM.

In libro quo rudera templi Iovis quod Strati aetate Alexandri Magni exstructum est summa cum scientia atque diligentia pertractaverunt viri clarissimi Picard et Courby, legitur epigramma huc usque ignotum quod editores, uno versu sexto excepto, probabiliter restituerunt in hunc modum:

[κ]αὶ Φθιμένων ἀρετᾶς λάμπε[ι κ]λέος, οἷσ[ι δ]ι' ἔργων  
 [μ]υρί' ἀνικάτου μίμνει ἄεθλα [δ]ορός,  
 [κ]οῦ ψευδῆς μύθων κέχυται Φά[τ]ις, ἀλλὰ τυπωθεὶς  
 χαλκὸς ἀρίγνωτος [π]ά[γ]χυ δάμ[α]ξε μ[ό]ρον.  
 5 Σωσάνδρου δῶρημα, [τ]ὸ [θῆκεν] Πανταλέ[οντι]  
 ἀρχεύσας ἐρατῆς Γ Τ / Ὡ ... ἠιθέων.  
 κτλ. <sup>1)</sup>

Non est dubium quin legendum sit:

ἀρχεύσας ἐρατῆς γυ[μ]ν[ά]δος ἠιθέων,

i. e. *γυμνασιαρχήσας*. *Γυμνάς* dicitur *γυμνάσιον* etiam IG, XII, 3, 202, 1: τίς ἔκτισε γυμνάδα τάνδε, et ibid. 7, 447, 5: γυμνάδος ἐν τεμένει.

G. V.

1) Recherches archéologiques à Stratos, 1924, p. 110.